



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quid sit litis contestatione, seu in quo constitat, & quo pacto inducatur, & an sit necessaria ad Judicij substantiam?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS V.  
DE LITIS CONTESTATIONE.

## §. I.

*Quid sit litis contestatio, seu in quo consistat, & quo pacto inducatur, & an sit necessaria ad Iudicii substantiam?*

**L**itis contestatio, quæ plerùmque requiritur ad substantiam iudicii ordinarii, rectè describitur, quòd sit fundamentum iudicii (proprie dicti) per petitionem (actoris) in iure propositam, & congruam (rei) responsum animo litigandi factam (prout sumitur ex *c. unico h. t.* & ex *c. Dudum. 54. §. Licet autem. De elect.*) juxta formam & praxin illius tribunalis factam; ita tamen, ut per solam facti narrationem, & particulares petitiones, quæ sunt ab actore, absque petitione nulla fiat litis contestatio; potest autem ex parte rei fieri litis contestatio, non tamen negativè, sive negando simpliciter narrata, & petita ab actore, prout narrantur, & petuntur, sed etiam affirmativè, ira tamen, ut appareat, hæc fieri non animo cedendi liti, sed animo litigandi, qui facile præsumitur, quando narrata quædam conceduntur, petita tamen negantur, ad quem finem in iudicio sua petere censetur Actor, & negare ea censetur Reus, nisi major expressio ex particulari tribunalis alicujus statuto aut consuetudine requireretur, aut expressè protestetur Reus, se non animo litigandi, sed informandi tantùm Iudicem, petita aut narrata negare.

## §. II.

*De positionibus, & articulis, ac responsionibus, & quomodo à litis contestatione differant?*

**P**ositiones, quæ regulariter super causa principali post litis contestationem fiunt, sunt breves quædam narrationes, aut assertiones alicujus facti in causam controversam pertinentis, super quo petitur ab adversario responderi, ut noverit actor, ab onere probandi hoc per confessionem ultroneam adversarii se liberum. Debent autem positiones tales esse breves, claræ, & nihil superfluum, aut ad rem non faciens contineri, rejicienda à iudice, si sint impertinentes, & continere tantùm ea, quæ sunt facti non autem quæ sunt juris, cum jus tantum certitudinem non à responso rei converti, sed ex se habeat: & ordinariè in iudicio ordinario sunt in scriptis offerenda medio juramento, quod juramentum dandorum dicitur, quo jurat actor, non animo calumniandi, sed juris lituendi causâ, positiones tales exhibere. Ex his positionibus, si quæ à reo negentur, sunt articuli probatoriales, si ad quos probandos se actor offerre debet, cum enim responsum ad positiones debeant esse simplices, puræ, & absolute ad rem pertinentes, & claræ, per verbum credo, aut non credo, &c. ut actor sciat, quid sibi probandum sit, consequenter ad lites abbreviandas articulo-